CAPVT XXIV.

De vsu seri Lactis & Chalybis in Melancholia Hypochondriaca.

PVRGATIONE hoc modo instituta & peracta, quandoquidem viscera inde nonnihil calefiant, & aliás in hoc affectu epar & venæ mesaraicæ plerumque sint calidiores, addenda sunt medicamenta, quę præternaturalem illam venarum mesaraicarum caliditatem & siccitatem emendent: igitur aperientia, incidentia, & attenuantia vsurpanda. Quos scopos omnes, explere poterit seri lactis caprini vsus, aliquot diebus, octo scilicet aut quatuordecim continuatus. Serum Lactis itaque, vbi nec acidularum nec thermarum copia habetur, recomendatum habeatur. Nam vt Aretæus l. 2. de caus. & signis acutor. c. 8. & post eum Mercat. l. 2. de Virg: & Vidu: affect: cap. 7. doctè explicuit. Serum ad ventilanda viscera, auferendum cauma, deobstruendum, humorem nigrum suauiter expurgandum, abstergendum meseræi venas quæ flatu turgent, calidáque intemperie laborant, summoperè præstat: hoc enim medicamen,

Vsus & preparatio & electio seri Lactis.

mē, attenuat, abluit, abstergit: vti l. 2. distinct. 1. cap. 9. de medic. simpl. purg: Mesue inquit; & nitrosâ quâ præditum est facultate, aluum absque mordacitate vlla leniter subducit, bilem tùm flauam tùm atram, ab adustis humoribus genitam, deijcit; quo fit, vt mirificè cōferat melancholicis, lienosis, & ijs qui terrestri succo scatent.

Quantas in se habeat vires serum lactis etiam bubuli, in morborum grauissimorum curationibus, præsertim verò in abstemijs, siue hydropotis, quorum natura & consuetudo, pro potu & medicina, præter aquam puram, putam, & lac, nihil admittit, omniáq; nauseat & respuit: id expertus sum hactenus in venerandissimo Domino Parente meo, Tobia Geigero, Vtriusq; Medicinæ Doctore, jam propè octogenario; is per totum vitæ suæ curriculum, licet inter medicationes suas chirurgicas & medicas, quas tàm pacis quàm belli tempore, ęgris suis, magna cum laude, non minore felicitate probauerat, pluribus morbis, & inter illos etiam malignis, lacessitus fuerit, ab ijs tamen per seri lactis largiorem vsum, omnibus alijs remedijs exclusis & posthabitis, sæpiùs pristinæ sanitati restitutus

est. Admiratione dignum est, quod narro. Elementa studiorum prima, & linguam Latiam trigesimo suæ ætatis anno, cùm jam per aliquot annos matrimoniali vinculo obstrictus fuisset, perdiscere cœpit, inde Hippocratis Galeníque scholam ingressus, per priuatas Thomæ Mermanni percelebris Medici, de quo supra in cap. 15. mentio facta fuit, prælectiones quotidianas, tribus aut quatuor annis continuis, in tantum profecit, vt pro Medicâ & Chirurgicâ Laureâ certare ausus sit, & vtramq;, non sine magna aliquorum maleuolentium inuidia, adeptus sit. Sex vicibus, sub bellicosissimis & victoriosissimis Hungariæ & Bauariæ Ducibus & Generalibus, Medicum castrensem egit. Triginta sex annis, secundo Numine, Nosocomijs tàm Electoralibus Bauaricis, quàm Metropolis Monachiensis, tanquā Medicus & Chirurgus præfuit, ibique deploratos multos, & ab alijs derelictos, restituit; neque vnquam occidit, vt sanaret. Vir veteris prosapiæ, & antiquæ fidei. Verùm, meridiem supergressus, cùm jam in vespero viuat, ideò tamen à cœpto, quem sibi destinauit, nondum desistit cursu, optatam laborum suorum metam (quę nostrorum omnium finis est) tandem

dem in bona pace adepturus. Vt autem expurgatio, ſero lactis celebrata, optatum finem conſequatur, tria efflagitat. Primum, vt ſit ſerum lactis caprini. Secundum, vt ſumatur medicatum & præparatum. Tertium vt ſumatur in magna quantitate.

Eligendum eſt ſerum Lactis Caprini. Nam hoc temperatum eſt, maximè ſi capra ſit nigra, cuius caro, & lac, ſuauitatem corpori cõciliant: vt teſtantur Auic. lib. 2. tract: 2. cap. 145. Meſue, tract. 2. de ſimpl. tit: de aqua lactis. Raſius vlt. contin. tr: 2. cap. 172. Ætius tetrab. 1. ſerm. 2. c. 88. Nam nigriora ſunt ſuauiora, jucundiora, & præſtantiora, & melius cocta, ex Gal. 6. epid. ſect. 2. com. 44. Laudatur quod in vere extrahitur, eo enim tempore capræ herbis vtilibus veſcuntur, ex quibus lac probum generatur. Minus laudabile, quod ęſtate colligitur: herbæ enim, quibus paſcuntur animalia, ſunt exuccæ, & paſtores, capris, vt maiorem lactis largiantur copiam, ſalem offerunt, & ſic ſitientes copioſiùs bibunt, & lac hâc de causâ generant ſeroſum nimis, quod vitioſum eſt. Cùm itaque, ſerum naturâ ſuâ ſit quaſi temperatum, vel parum ad frigidum & humidum declinet, eſt ma- *Electio.*

teria omnium medicamentorum, quare morbis frigidis, & calidis remedio est.

Præparatio. Vsus autem seri lactis, in multis regionibus admodum frequens est, quod sub finem veris, ac in æstate ad purgandum exhibetur. Et si inde conficere voles remedium, quod omnibus affectibus, ab atra bile & melancholico humore subortis, & nutritioni dicatis partibus, ab inflammatione, aut nimio calore æstuantibus, in quibus opus est refrigeratione & humectatione, aptum & idoneum sit, hâc viâ præparatio aggredienda est. Rec: seri Lactis ℔ iiij. vel amplius: huic adde succi Limonum Dr. iiij. succi pomorum redolentium recens extracti Vnc. vj. omnia simul cum vno atque altero oui albumine probè agitata & mixta, igni admota clarificentur. Addes, si velis, parum sacchari, & habebis medicamentum excellentissimum & suauissimum ad supradictos vsus: de quo sufficiet pro dosi exhibere Vnc. vj. horis matutinis: robustioribus autem plus dabitur, continuando ad 15. vel 20. dies. Non est maior simul & semel paranda quantitas, quam quæ satis sit pro duobus tribúsue diebus, ne acescat. Aut si ex illo velis Iulapium parare. Rec: seri lactis prius aciduli

facti

facti cum succo limonum, & clarificati, adde Florum violarum & Buglossæ, recentium, vel exsiccatorũ, & optimè mundatorum, hoc est, in quibus amplius nihil, quod viride sit, supersit, quantum voles, & in 24. horis, serum tingetur colore, sapore, & odore enumeratorũ florum: adijcies sacchari ad lubitum, & habebis iulapium suauissimum & vtilissimum. Ad expurgandum autem humorem melancholicum, maceretur in eo per noctem (scilicet in sero lactis) folia senæ, epithymum, polypodium, radix hellebori nigri, myrobalani Indi, lapis lazuli, fumaria, &c. Pro vacuando humore bilioso: rhabarbarum, pulpa cassiæ, flor: cordiales, myrobalani citrini, conserua violacea, semina frigida. Pro pituitoso humore: turbith, agaricum, mechoaca, jalapa, hermodactili, radix iridis, myrobalani chebuli, emblici, colocynthis. Si volumus causam morbificam euacuare per vias vrinæ, in sero infundimus diuretica. Si calidam Iecoris intemperiem remouere est in animo, illi permiscemus folia cichorei, lactucæ, bugloſſę, boraginis, &c. Si flatulentia eius metuatur, dum igne depuratur, aliquid seminis coriandri, & ligni sassafras, addi potest. Sumendum igitur medica-

dicatum & præparatum ijs, quæ ipsius frigiditatem aliqualiter retundant, vnáque internas partes roborent, vel deobstruant, vel expurgent humorem, qui morbi causa esse solet. Cùm enim serum sit materia, in qua omnia medicamenta infundi possunt, tùm quoniam facilè ob tenuitatem substantię, vires medicamentorum in se imbibit, tùm quia, vti supra dictũ est, temperatum, & vel parum recedit per frigiditatem, hisce morbis sumo est vsui. Suadet etiam Mesue, sub dio exponendum esse, vt accepto rore à cœlo demisso, qui suâpte naturâ purgare potest, reddatur magis refrigerans & expurgans, noctísque & aëris frigidi repercussu, vis ipsa vniatur. Galenus quoque, sal & mel admiscuit, propter maiorem alui irritationem & absterſionem.

Quantitas In magna autem quantitate sumendum, præsertim ventriculo non admodum debili: aliter enim non purgat, nisi in magna quantitate sumptum, vt libro: 2. epid. sect. 6. docuit Hipp: qui octo cotylas assumendas imperat, in hypochondrij distentione; accipit verò cotyla vncias nouem, hoc est octoginta circiter vncias: quas tamen nostro tempore, vix aliquis capiet;

ideò

ideò pro cuiusque viribus facilè dispensandum, Comuniter autem ad ℔ iij. vel etiam plures sumendæ, & ebibatur calix vnus post alium pitissando, & post vsum seri deambulandum, vt in profundiora corporis sese insinuet, & materiam quæ obstructiões facit, per aluum & vrinas deducat. Neq; magna copia seri pertimescenda: si enim per venas penetrare, & iterum per aluum & vrinas statim deijci debet, magna copia requiritur, in minore verò nihil præstat, eodem modo, vt thermæ & acidulæ in maiore quantitate ebibuntur. Pro corroboratione ventriculi, post vsũ seri, singulis diebus manè & vesperi sumatur de elect: seq. portio, quæ quantitate nucem juglandem æquet.

Rec: Conseru. bugloss. borragin. ana vnc. j. rosar. anthos, ana vnc. ß. spec. diarrhod. abbat. diatrion santal. ana Dr. ß. Margarit. præparat. scr: ij. Lign. aloes scr: j. Cort: citri condit. vnc. ß. Confect: Alkermes Dr. ß. cum syr: de Pomis: fiat Electuarium. Comendatur quoque Cereuisia aut Vinum absinthites, post purgationes per aliquot dies exhibitum.

Proprium etiam Melancholiæ Hypochondriacæ alexipharmacum, chalybs nominatur, & plurimum ad obstructiones hypochondrio- *Vsus Chalybis.*

rum aperiendas, non ſolum à Chymicis, verùm etiam à Galenicis, quòd continuus illius vſus, ſemper felicem ſit aſſecutus finem in ægris, cõmendatur. Cùm verò chalybs ſit calidus & ſiccus, vímque aſtringendi & ſiſtendi aluum habeat, præſertim in Dyſenteria: non immeritò in dubium vocatur, an hypochondriacæ affectioni, quæ maximè ſicca & calida eſt, conueniat. Nec admittendus tam facilè eſſet, niſi experientiâ tam diuturnâ, plurimáque grauiſſimorum Medicorum, tàm veterum, quàm recentiorum authoritate conſtaret, chalybem ad affectionem hypochondriacam, cachexiam in mulieribus ex menſium obſtructione, alióſque à pertinacibus lienis & venarum meſaraicarum obſtructionibus ortos morbos, eſſe probatum remedium. Miſſis autem antiquiorum allegationibus, vt *Plinij*, *Pauli Æginetæ*, *Dioſcoridis*, *Aëtij*, *Oribaſij*, *Rhaſis*, *Serapionis*, *Auicennæ*, *Halyabbatis*: ex Neotericis vnicum Mercatum inter multos proponemus, qui de morb: mul. lib. 2. c. 6. refert, tantam eſſe chalybis naturam & efficaciam, vt magnos etiam lienis & vteri ſcirrhos perſanaſſe viſum ſit. Et de inter: morb: curat: lib. 1. cap. 17. incredibili efficaciâ affectioni

hypo-

hypochondriacæ chalybem prodesse, & experimento esse confirmatum, in omnibus ferè affectionis hypochondriacæ causis, vsum chalybis commodum esse, siuè in fæminis ex vtero, siuè in eis, ac viris, ex ventriculo, mesenterio, jecore, aut splene obstructis, aut quomodolibet humore obsessis, malum oriatur.

Quomodo & quibus viribus prosit chalybs.

Prodest autem, aut ratione ponderis sui partes obstructas permeando, & ita ab infarctu liberando, aut ratione virtutis absterſiuæ & aperitiuæ, & purgatiuæ: quàmuis electiuè purgare vt alia purgantia, à nemine concedatur. Probabilissimum omnium videtur, ferrum & chalybem, peculiarem cum humoribus melancholicis & adustis habere cognationem, atque idcircò eos attrahere, seu imbibere, ac cum ijs vniri: & atram bilem, vt & ipsam melancholiam, vitriolatæ naturæ participem, aut certè ei cognatam esse, & ferruginei quid sapere, nemo facilè negauerit. Et cùm chalybs naturæ sit metallicæ, & in alimentum conuerti non possit, crassioris etiam substantiæ, quàm vt in penitiores corporis partes penetrare valeat, natura eum per aluum maturè iterum exturbat, cum quo etiam humor melancholicus euacuatur. Dum

verò hoc fit, fæces nigræ redduntur, & id nisi fiat, parum felix est vsus chalybis, & ab eo desistendum. Ex quo patet, non solùm ipsum aperire, sed secum etiam vitiosos humores educere. Hinc multi chalybem rudiori & crassiori modo paratum, subtilissimè præparato præferunt, procul dubio, ne penitiùs in corpus penetret, sed in primis vijs hęrens, humores illos crassos imbibat, iterúmque faciliùs per aluum descendat. Putat etiam Mercatus de morb: mul. lib. 2. cap. 6. ex Aetio: si nimis exquisitè præparetur, vomitum ciere, & aluum turbare, quia magis in vitrioli naturam abit: in crassiore autem substantia, satis quidem vitiosos humores imbibere, verùm naturæ non ita molestum esse, aluúmque non ita turbare. Et licet chalybs calidæ & siccæ naturæ sit, atque hoc modo humorem atrum ferociorem reddere videatur: tamen non alterandi causâ exhibetur, sed vt obstructiones aperiantur, & humor ater educatur; atque commodum, quod ex eius vsu prouenit, longè maius est, quàm incommodum: sicut etiam Rhabarbarum in euacuanda bile, Ellebo-rus niger in humore melancholico euacuando, commodè exhibentur, etsi in primis qualitati-

bus

bus cum hiſce humoribus aliquam conuenientiam habeant.

Varijs autem modis chalybs exhibetur. Alij enim ſubtiliter limatum exhibent; alij calcinatum; alij aceto præparatum, quod fit, limaturâ chalybis in aceto acerrimo maceratâ, hinc ſiccatâ & tritâ; alij ex eo Vina chalybeata, Syrupos, Oxymel, Electuaria, Crocos, Tincturas, & Eſſentias parant, quorum deſcriptiones in fine huius capitis inſerere placuit. Cùm autem certum ſit, vires quas exerit in hypochondriacis curandis, ab eius ſulphure, quo abundat, præcipuè pendere, attendendum in præparando & exhibẽdo chalybe, ne eius ſulphur pereat, quod fit, ſi vel crudus valdè igne vratur, & (vt Chymici loquuntur) reuerberetur, vel etſi alio modo ſolutus ſit, ſi reuerberatione partes eius ſulphureæ & volatiles diſſipentur, & fixæ ſalinæ relinquantur, quæ potiùs aſtringendi, quàm aperiendi vim habent. Verùm optimè notat doctiſſimus & fideliſſimus Zacutus Luſitanus in lib. 9. cap. 10. obſ: 3. faciliorem modum exhibendi chalybem, & curandi hypochondriacos per illum, vbi ſcribit; macerant ſeſe cum Medicis Pharmacopœi in præparando chalybe, cũ

Chalybs varijs modis exhibetur.

Experientia ſingularis de Minera ferri.

aliud faciliùs ſit ad manus, minoris pretij, & vtilitatis incredibilis. Eſt terra quæ in mineris ferri reperitur, quam ſi ſicces ad vmbram, teras ſubtiliſſimè, & in læuorem redigas accuratè, eadémque quantitate, ordine, & formâ, in eiſdem malis, ęgrotantibus offeras, mirabilem imò excellentiorem vtilitatem, quàm ex chalybe percipies, pro vt ſæpiſſimè, feliciſſimè tamen, ſum expertus. Nec mireris: nam terris plures inſunt admirandæ virtutes & vires, pro vt Dioſcorides, Galenus, Paulus, & cæteri Medicinæ Principes vnanimi conſenſu affirmant, maximè verò illi, quæ in fodinis ferri reperitur. Quique analogiam Macrocoſmi & Microcoſmi explicant, ſcribunt, quod Mars metallicus maioris mundi, reſpondeat Marti Microcoſmi, eiúſque ſeruitio deſtinetur, & cuſtos ſit valetudinis eius mẽbri, cui cœlitus videtur eſſe deſtinatus. Vera hæc & experta eſſe, viuum qui hæc ſcribo, dare poſſum teſtimonium: ſiquidem in Electoralibus Noſocomijs, quibus tàm in medica quàm chirurgica facultate jam per viginti annos præſum, terram illam, ferri minerâ benè impręgnatam, quam ex ipſis ferrifodinis ad ferri, & præſcripto modo pręparari curaui, pro obſtructionibus

nibus cachechticis, præcipuè verò mensium, & viscerum omnium inferiorum, tollendis, in communi & quotidiano ferè vsu habeo, optimo cum effectu, & ægrorum leuamine.

Datur autem chalybs vel terra ista in substantiâ, vel in conseruâ rosarum, violarum, boraginis, quæ in hac affectione commodissima est, vel aliâ conueniente, aut cum syrupo aliquo, vel in pilulas cum syrupo aliquo, aut succo cichorei & agrimoniæ redactus. Ne autem ventriculus offendatur, alij caryophyllos, alij cinamomum, alij specierũ Diarhodonis dimidiam partem, admiscent. Quidam cum cinamomo & saccharo inde rotulas faciunt, accipiendo chalybis præparati Vnc. ß. Cinamomi Dr. ij sacchari albissimi Vnc. j. Possunt & alia huic scopo inseruientia addi, vt cortices radicum capparum, tamarisci, fraxinî, filicis, folia chamędryos, ceterach, chamæpityos, flores genistæ & similia. Antequam verò exhibeatur, primæ viæ euacuandæ sunt. In substantia si datur, mediæ ætati exhibeatur Dr. j. dosis tamen neque infra binos scrupulos, neque supra drachmam cum semisse esto. Oxymel & syrupus datur ad Vnc. ij. vel Vnc. iij. Vinum ab Vnc. iiij. ad Vnc. vj.

Quomodo exhibeatur chalybs.

sumpto

Sumpto chalybe in ſubſtãtia, hauriendum poculum vini albi, neque nimis tenuis, neque nimis generoſi: abſtemij aquam, in quâ cinamomum coctum ſit, vel jus galli bibant. Exhibendus etiam chalybs commodiſſimè vere & autumno, hyems enim frigore, æſtas calore obſtat: manè quoque jeiuno ſtomacho ſumendus, & ſumpto eo, æger vnâ atque alterâ horâ obambulet, vel exerceatur, vt faciliùs medicamentum diſtribuatur, poſtea quieſcat. Si vires ſint debiles, exercitium omitti poteſt, cum etiã in lecto decumbẽtes per vſum chalybis ſanatos fuiſſe compertum ſit. Prandendum horis quatuor ab aſſumptione medicamenti: cibis autem boni ſucci vtendum, & dieta ſit frugalis. Initio, tertiâ die chalybs exhibendus, ſi cui æger poſtea aſſueuit, morbúſque id poſtulat, ſingulis diebus dari debet. Et licet quidam, primis diebus, eum cum multa bile, & vitioſis humoribus euomãt, tamen ideò non deſiſtendum, quia cum commodo fit, neque vbi aſſueuerint, ampliùs vomunt. Pro ægri & morbi ratione, vſus continuatur, diebus pluribus, vel paucioribus: alijs enim dies quindecim ſufficiunt, alijs viginti, alijs etiam triginta neceſſarij ſunt. Quòd ſi verò

ex

ex aſſumptione chalybis aluus non ſoluatur, nec fæces nigræ appareant, quarto die, vel clyſtere iniecto, vel pilulis ex aloë roſata, vel de tribus, aluus cienda. Neque inutile erit poſt decimum vel duodecimũ diem leni purgatione vti, deinde à purgatione biduo quieſcere, & hinc ad vſum chalybis redire. Vt autem faciliùs deſcendat, poſſunt pulueris Dr. ij. addi ſpec: diarhod: abb: Aloës ana Dr. j. & cum ſyrup: capill: vener: vel fumariæ, pilulæ inde formari.

Præparationes chalybis, & formulæ chalybeatorum, ſequentes ſunt. Primò, chalybis prę- *Formulæ diuerſæ præparationũ Chalybis.*
paratio ex aceto ſecundùm Auguſtanos. Rec: Limaturæ chalybis quantum volueris, affundatur aceti vini acerrimi tantum, vt tota madeat in eo, ſtent in loco calido tamdiu, donec acetũ ad ſiccitatem abſumptum; poſtea pulueriſetur, & ſic ſepties reiteretur: poſtremò molatur ſupra Porphyritem, & ſeruetur vſui. *Chalybis præparatio ex Aceto.*
Secundò, chalybs cum ſulphure. Rec: Limaturæ chalybis quantum volueris, & fac cum puluere ſulphuris citrini ſtratum ſuper ſtratum, calcinetur: hanc calcinationem, ſemper addito nouo ſulphure, toties repete, donec chalybs liqueſcat: tunc extinguatur in vino albo generoſo, *Cum ſulphure.*

deinde in tigillo ad ignem fortem ſinatur per vnam atque alteram horam, vt optimè exiccetur, & ſulphur euaneſcat & conſumatur, tandem in Porphyrite leuigetur pro vſu. Tertiò. Crocus Martis aperitiuus. Rec: laminas è ferro vel chalybe puro ductas, obline eas aceto deſtillato, oleo vel ſpiritu ſulphuris, vel vitrioli, colloca in cellam, & poſt aliquot dies crocum deradendum pede leporino inuenies: hunc laborem repete toties, donec in crocum Martis totæ laminæ abierint. Doſis à gr. viij. ad xv. in conuenienti vehiculo. Quartò. Eſſentia Martis liquida. Ferrum limatum candefac igne valido, aut in crucibulo, aut olla, excandeſcens limatũ ferrum, extingue in ſufficienti quantitate aceti acerrimi, reiteretur labor prædictus ter aut quinquies, ſemper cum extinctione ferri in aceto: deinde acetũ (eſſentiâ Martis prægnans) filtra per chartam, & impone cucurbitæ: abſtrahe acetum in Balneo, ad latitudinem trium digitorum, remanentijs verò, affunde ſpiritum vini, in quantitate ſufficiente, pro extrahenda eſſentia Martis: iterum ſpiritum vini tinctum filtra, & in Balneo abſtrahe, vſque ad ſyrupi liquidioris cõſiſtentiam. Quintò. Tinctura Martis.

Crocus Martis aperitiuus.

Eſſentia Martis.

tis. Rec: Limaturæ chalybis q. v. affunde acetum deſtillatum, rubedinem extrahe, aliúdque acetum affunde, ídque per menſes duos, vel tres continua, donec nihil amplius extrahatur. Acetum tinctum omne commiſtum in Balneo deſtillando ſepara, & reſiduo ſpiritum vini affunde, & digere, vt tincturam extrahat; ſpiritum vini deſtillando abſtrahe, iterúmque affunde, idque ſexies repete, & ſic habetur Martis tinctura. *Tinctura Martis.*

Sextò. Vinum Chalybeatum. *Rec: Chalybis ſulphure præparat. ℥nc. iv. rad: Eryngij. Enulæ: campanæ ana ℥nc. j. ß. ſantali citrini ℥nc. j. Coralli rubri. Raſuræ eboris ana Dr. vj. Caryophyllorum. Macis. Cinnamomi. Zingiberis ana Dr. iij. Ceterach. Flor: Geniſtæ. Anthos. Epithymi. ana P ij. Vini albi generoſi ana ℔ vj.* Macerentur per octiduum ad minimum, ad ignem B.M. calidum, dein tranſcolentur per manicam Hippocratis ter quatérue, vt vinum optimè clarificetur, quod dulcorari ſaccharo poterit, vt fiat vinum guſtui gratum: doſis, vnum aut alterum cochleare in principio, quæ deinceps, ſi opus ſit: augeatur. *Vinum chalybeatum.*

Septimò. Syrupus chalybeatus. *Rec: Limaturæ Chalyb: ſulphure ſolutæ & præpar: ℔ ß. Aq: Meliſſæ. Fœniculi. ſcordij. ana ℔ j. fiat infuſio per octiduum in loco cal. deinde coqu. ad 3. colentur, & adde* *Syrupus chalybeatus.*

Herb: Melissæ. Betonicæ. Capill: vener. an: mj. sem: Fænic. Dr. j. sassafras Dr. jß. stent per noctem: manè vicissim decoquantur & colentur. Adde sacch. q. s. fiat syrupus. de quo cum decoctione rad: Fænic. Eryngij. Passular. Cicer: rub. quotidiè bis vnc. ij. vel vnc. iij. diluantur, & assumantur per octiduum. Octauò. Electuarium chalybeatum. *Rec: Limaturæ Chalybis vnc. viij. molatur super porphyrite subtilissimè ex aceto, deinde siccetur ad solem, vel ignem, & sic septies iteretur: postea Rec: Limaturæ sic præparatæ vnc. vij. Cinamomi acuti. Nucis Moschatæ ana Dr. vj. Rhabarb: electi Dr. ij. spec: aromat. rosat. Dr. vj. Mellis optimè despumati. sacchari albissimi ana vnc. xiij. Misce ad lentum ignem, & fiat Electuarium.* Hoc Electuarium erat quondam familiarissimum Clarissimis viris D. D. Cratoni. Philippo Menzelio, ac Thomæ Meermanno piæ memoriæ. Inter omnia præcipuum obtinet locum Electuarium hoc, diutino experimento confirmatum, vtere eo, corpore prius exurgato quantitate Dr. ij. jeiuno ventriculo, superbibito haustu generosi vini, aut aquæ, quę prius sit decocta radice Chinæ, scorzoneræ, aut aperientis decocti; & si vires valeant, post eius potum, non displicet exercitium spatio dimidiæ horæ celebratum. *Rec: Fol: senn: ori: vnc. ß. Epithym.*

Electuarium chalybeatum.

Electuarium chalybeatum, acuti Lu. Mani.

pithym. Polypod. sem: carthami. ana Dr. ij. Flor. borrag. violar. Bugloss. an. Dr. j. ß. Passul.: corynth: vnc. ij. Prunor: sine acinis. n. x. sem: Anisi. Faniculi ana Dr. j. Adianth. mj ß. Eupatorij. Asplenij. an. mj. Cort: citri exiccati vnc. j. Tamarisci. mß. Myrobalan. Chebul: Indor. an. Dr. iij. coquantur omnia in aq. chalyb: quousque remaneat ℔ j. in colatura infunde s. a. Rhab: elect. Dr. ij. Agar: troch: in vino zzingib. Dr. j. Hermod: Dr. j. Mechoacæ Dr. ij. Omnia deinceps excipiantur, tum adde syr: Fumar. maior. Chalyb: subtil: tritur: vnc. j. Conf: Alkerm. Elect: de Gemmis. Confect: Hyacinth. ana. Dr. iij. Margarit: præparat: Dr. ij. Lap: Bezoartici gr. xxx. Eboris in tenuißimum pollinem redacti Dr. ij. Flor: Meliss. Dr. ß. Pulu: senæ Dr. ij. Tartari vini albi Dr. j ß. Theriac: Andromachi. Dr. ij ß. Mithridatij Dr. j ß. spec: Aromat. rosat: Mes. Diarrhodon: Abat. an. Dr. ß. Rubinor: præparat: Granat: præparat: an. Dr. j. serici crudi. scr. ij. Omnia in puluerem tenuißimum redacta cum fol: auri. n. xx. misceantur, & cum saccharo q. s. fiat s. a. Electuarium.

Nonò. Oxymel chalybeatum. Rec: rad: Irid. vulg. vnc. j. ß. Vincetoxici. vnc. ij. Taraxici. Valerianæ. Mechoacæ. Rubiæ tinctorum. Polypodij qu. ana vnc. j. Cort: Fraxini. Tamarisci. Cort: Ebuli. ana Dr. vj. Ras: Ligni rhodij. Eboris in nodulo lineo inditi an. vnc. ß. Chalybis sulph: præparat: vnc. ij. Herb: Eupatorij: Mesuæ. Fumariæ. *Oxymel chalybeatum.*

mariæ. Hepaticæ. Ceterach. ana mj: sem: Cuscutæ. Melonum. Acetosæ ana Dr. ij. Carthami. Ebuli. Halicacabi. ana Dr. v. Fæniculi. Anisi ana Dr. iij. Flor: Genistæ. Ebuli. sambuci. Centuarij min. ana. P ij. Flor: Cichorij. spicænardi. an. P j. Trochiscorum de rhabarbaro Dr. x. de Capparibus vnc. ß. Agarici troch: cum suo nodulo Dr. vj. Macerentur omnia in aceti sambucini & scyllitici ana ℔ j. Aquæ Flor: Ebuli ℔ jß. per tres quatúorue dies ad ignem B. M. dein coquantur ad vnius tertiæ consumptionem, in colatura clarificata adde syr: Rosati solutiui. syr: Flor: Persicæ arboris ana vnc. iiij. Mellis Narbon. optim. prius despumati vnc. x. & coquito ad ignem, materiam optimè despumando, addendo sub finem coctionis, Elaterij Dr. ij. scammoneæ vnc. ß. fiat oxymel coctum ad legitimam consistentiam. Dosis cochlearia duo vel tria pro robustioribus. Remedium est ad hypochondriacam affectionem maximè accomodatũ. Eius vsus per aliquot vices repetendus, prout malum facile aut difficile permanserit, per se assumetur, aut commixtum vni aut duabus vncijs Aquæ Hypochondriacæ, inferiùs in corroborantibus descriptæ.

CAPVT